



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De  
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi  
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus  
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1679**

De occisione calumniatoris, furis, pro conservatione aurei, in vasoris  
bonorum speratorum, falsi accusatoris, falsorum testium, ac Indicis iniqui,  
uxoris propriâ autoritate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38917**

## Decima-nona ab eodem.

*Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

Opponitur Doctrina S. Augustini.

*His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur, lib. 1. de civit. c. 21. Sed memoratos in propositionibus damnatis nec lex justa, nec ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet: ergo licitum non est eos occidere. lib. 22. cont. Faust. c. 70. de homicidio Moysis tractans dicit: Consultâ æternâ lege, reperio, non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum & improbum, occidi. Et infra explicans hunc locum Matth. 26. Reconde gladium: qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet, ait: Ille autem utitur gladio, qui nullâ superiori ac legitimâ potestate, vel jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur. Et epist. 61. Nullis autem jubentibus legibus, ut legitimis potestatibus, non licere alterum occidere etiam volentem & petentem, & vivere jam non volentem, satis indicat Scripturæ regnorum --- proinde quia omnis, qui sine ulla legitimæ potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est; atqui qui occidit invasorem nitentem calumniam inferre, vel impingentem alapam, & post impactam fugientem, & furem pro conservatione unius aurei, & defendit defensione occisivâ ea, ad quæ jus tantum inchoatum habet, & rali-ter vel se, vel suam Religionem contra minantem*

spat-

spargere gravia crimina, non gerit ordinatam potestatem, à nulla jubetur lege, nisi pro lege amplectatur is propositionem tertiam ab Innocentio X. damnatam (*Generatim dum probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*) Sed sine ulla legitimæ potestatis auctoritate hominem occidit; ergo secundum Augustinum est homicida.

Adde, S. Augustinum non excusare ab omni peccato illum, qui hostem irruentem, vel insidiatorem sicarium sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia interficit, etsi à legibus civilibus permittatur talis occisio, de his enim dicit lib. I. de arbit. c. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: sed quo pacto illos defendam, qui interficiunt, non invenio. Et rationem assignans ibidem ait: Quomodo possum arbitrari carere istos libidine (id est cupiditate, quâ ad sui defensionem etiam bruta impelluntur) qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere invitè, aut si non possunt, quid opus est pro his, usque ad hominis necem progredi? Et ibidem ait: Nescio utrum non aliquâ vehementiore ac secretissimâ lege teneantur, si nihil rerum est, quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?*

Si secundum S. Augustinum non sint liberi à peccato, qui pro conservanda vita, quæ omnibus bonis temporalibus solet præferri, hominem occidunt,

non erunt, ipso Judice, liberi in propositionibus damnatis reati occisores.

Ne tamen inferas ex hac Augustini doctrina, in nullo casu licitum esse occidere inuasorem. Contrarium enim insinuat S. D. quæst. 84. in Exod. imò & cap. jam cit. de lib. arbit. ubi dicit. *Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causâ vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari.* Vult ergo S. Augustinus ad hoc, ut occisio inuasoris sit licita, actionem occidendi debere esse liberam à libidine sive depravata cupiditate, quâ impellente, sine prudente rationis dictamine invasi instar brutorum impelluntur in occisionem aggressorum, cum deberent tantum respicere & intendere conservationem vitæ, vel ob bonum Reipublicæ, vel familiæ, vel ut morerentur cum majori probabilitate salutis, quæ vix in talibus circumstantiis considerantur: & hinc semper fere peccatur.

Trigesima - quarta ab Innocentio XI.  
damnata,

*Licet procurare abortum ante animationem foetus, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Trigesima - quinta.

*Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Doctri-

Doctrina S. Augustini opposita.

Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos, occidat: quia quaecunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam, quos occiderit, esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere (quibus nempe procuratur sterilitas) mulier autem quaecunque fecerit hoc, **PER QUOD JAM NON POSSIT CONCIPERE, QUANTOSCUNQUE PARERE POTERAT, TANTORUM HOMICIDIORUM REAM SE ESSE COGNOSCAT.** serm. 244. de temp.

Aliquando eousque pervenit hac libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret; & si nihil valuerit, conceptos foetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, **VOLENDO SUAM PROLEM PRIUS INTERIRE, QUAM VIVERE;** aut si in utero jam vivebat, occidi, antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodam modo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris. lib. 1. de nupt. & concup. c. 15.

Et lib. 5. cont. Julian. c. 11. Dubitat S. Pater, an majus damnum inferat, qui expellit foetum inanimatum, & facit ut homo non sit, quam qui expellit animatum, estque causa damnationis ejus, quia non audet dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent (id est in damnatione levissima) potius expediret.

F 5

Specia-